Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1279
Quelle:
Copyright:

1245. defuncti. Prior praemissis currente calamo Indicibus ordi-tur: *Quoniam sicut dicit boetius in li. de trin. optime dictum videtur. eruditi est hominis* &c. et finit: *diuinitatis cui honor et imperium per infinita secula seculorum. Amen.* Initium Libri II. est: *Completis tractatibus de his que pertinent ad speculationem dei* &c. et finis: *ne cerimonialia tanquam ydolatriam gentium dampnare crederetur.* Igitur uterque integer, ut docuit Collatio cum Edit. *Veneta* 1576. T. IV. f. in qua multa vocum compendia nimium religiose conservata sunt, v. g. statim linea 1. *supracit. ūr* loco *videtur.*

DLXX.

U. 417 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 227. f. maj. per duas columnas nitidissime exaratus, rubricis distinctus, quem, ut praenotatur, *cum quibusdam aliis insignibus voluminibus numero 17. liberali ac magnifica donatione inter vivos donavit ad librariam Collegij ducalis Wienne M. Andreas de weytra Theologie professor nec non canonicus ecclesie sancti stephani* &c. complectitur *Partem* III. et IV. *Summae Theologicae Alexandri Hales*, sive *Alensis*, cujus tamen nomen nullibi exprimitur, ex O. M. *Angli* Viri ingenio acutissimi, in Academia *Parisina* titulo *Doctoris Irrefragabilis* condecorati, *Thomae Aquin.* et *Bonaventurae* Magistri, et anno 1245. vivis exemti, de quo plura apud *Waddingum*, *Tannerum* &c. Prologi *Partis* III. initium est: *Tota christiane fidei disciplina pertinet ad duo* &c. ut in iteratis Editionibus inde a *Veneta* 1475. Ad calcem adest *Quaestionum* Elenchus. Prologus *Partis* IV. incipit: *Dictum est supra de redemptore qui est per gratiam reparator* &c. Verum haec *Pars* situ multum vitiata jam *Quaest.* X. *Membri* V. *Art.* 3. §. 7. *Consequenter queritur. Vtrum hec conuersio seu mutatio* (Substantiae Panis et Vini) *sit successiua an subita* &c. abrupta est.

DLXXI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 416 XIV. Folior. 258. f. per duas columnas nitide scriptus et rubricis ornatus est ejusdem *Summae Pars* III. licet Autor neque in hoc Exemplo adpelletur. Praeit *Quaestionum* Elenchus. In fine autem sustulit Librarius manum cum verbis: *ut in medico cum sanat et in predicatore cum hedificat.* Igitur ultimae *Quaestiones* LXVIII. et LXIX. desunt, id, quod recentior manus ita signavit in margine: *Deficit tractatus de speciebus virtutum scilicet tribus theologicis quasi totus sexternus.* Sumtum est istud ex ingressu *Quaest.* LXVIII. ubi *Alexander* ipse: *Primo agatur de virtutibus Theologicis — consequenter uero de virtutibus Cardinalibus.* Verum ultra *Fidem* nec in hac, nec in sequenti Parte progressus est.

Codex noster olim datus est Facultati Artium Studii *Coloniensis* a *Goswino*